(6.)

# D. SALOMO CONSTANTINVS TITIVS

FACVLTATIS MEDICAE WITTEBERGENSIS

H. T.

DECANVS

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

A. D. 9. OCTOBRIS 1795.

*H. L. Q. C.*

A

I. G. HOFRICHTER

SILESIO

HABENDAM

INDICIT.


---

*Experimentorum Ticinensium, in quibus Diabeticorum vrina sub examen vocatur, enarratio cum epicrisi.*

PROLVSIO VI. EAQVE VLTIMA.

Omnia vero, quae hucusque enarrauimus experimenta, atque plurium virorum doctorum obseruata, eum praesertim in finem proposita sunt, vt ex his, quae ad naturam huius morbi, eiusque caussam proximam eruendam faciunt, depromamus. Praecipua symptomata in excretione vrinae, pro quantitate et qualitate admodum immutatae, cernuntur. Illam quidem iusto, quam par est, copiosiorem reddi, praeter ea, quae HALLERVS *(Physiol.* Lib. 12. S. 2. §. 20. Tom. V. Lib. 26. S. 4. §. 7. T. VII. edit. Bern.) collegit, exempla, nostra quoque, antea iam commemorata, comprobant. In primis D. HOME (l. c. pag. 341.) solertissimus fuit, in ratione vrinae ad potum recte constituenda, atque in vniuersum triplo fere eundem superasse, reperit. Aegroti Ticinenses ad 28, 36, quin ad 56 libras, intra viginti quatuor horas, ex se reddiderunt; quam ingentem quantitatem graui testimonio confirmauit Ill. FRANK *(Epitome de curand. hom. morbis*, Lib. I. Part. I. §. 480. pag. 44.). Maiorem etsi quantitatem alii viderunt, tamen ZACVTO LVSITANO *(Prax. histor.* Lib. II. cap. 17.) suspectae fidei obseruatori, vix fides habenda est, qui nonaginta libras intra nycthemeron redditas esse, narrat.

Quae quidem insignis vrinae quantitas plures scriptores in eam deduxit sententiam, vt proximam morbi caussam in renibus, eorumque laxitate quaererent, quo vitio maiorem seri attractionem, et lotii secretionem contingere dicerent. Corporum quidem, hoc morbo demortuorum, dissectiones, licet rarius institutae, statum renum morbosum, eosque magnitudine auctos, dilatatos, molliores, flaccidos, colore nigrescentes, calculis, vel arena repletos, vel tubulos vrinarios, atque vretheres vitiosos fuisse, docuerunt, quorum catalogum legimus apud HOMIVM, CAWLEY (pag. 125 sq.), FRANKIVM (§. 481.), et recentissimum anatomiae pathologicae scriptorem, BAILLIE *(Anat. des krankhaften Baues, a. d. Engl. von* SOEMMERING; *Berlin 1794. S. 163.).* Quodsi quantitatem lotii auctam, commode inde explicare posse, lar-



gimur; tamen quomodo qualitates eiusdem mutatae, atque deprauatae ſint, in primis vnde ſaccharinum principium, quod ineſt, aduenerit, aeque facile ex his intelligi poſſe, prorſus negamus. Id igitur, vt rectius explicarent, ad aliam cauſſam, ad primae digeſtionis, et coctionis nutrimentorum officinam, confugerunt. Hepar ergo, vtpote organorum digeſtionis haud vltimum, hic accuſarunt. MEADIVM (*Tentam. I. de vipera*, pag. 40.) primum huius ſententiae auctorem, plures ſecuti ſunt, eiusdem inhaerentes teſtimonio, quod indurationes, et obſtructiones in hepate reperierit, vt vrinam ſub morbi finem haud raro amaram, partesque bilioſas, non recte ſolutas, eſſe dixerit. Vidit etiam CAWLEY (pag. 115.) aliud vitium, hepar nempe flaccidum admodum, oedematoſum quaſi, cinereum; cuiusmodi alii ne quidquam, nec in ſuperficie lotii innatans oleum, viderunt. Sed ſi hepati in hoc morbo quaedam, ſaltem non primae, partes tribuendae ſunt. Eodem enim iure, ea quoque huc referri vitia poſſunt, quibus alia digeſtionis viſcera, vt glandulae meſenterii et meſocoli inflatae, ſcirrhoſae, durae, vaſa lactea obſtructa, pancreas lapillis attritum, et obſtructum, affecta fuerunt. Cuiusmodi phaenomena, pluraque alia, quae nobis anatomia pathologica hic offert, vt certius effectibus, quam cauſſis mali imputantur; ſic primariam illius cauſſam viis ſecundis, prauae ſanguinis mixtioni, ſiue aſſimilationi minus conſummatae, tribuimus.

Ne, igitur longiores ſimus in diſcutiendis aliorum opinionibus, partim eos ſcriptores, qui deficientem atque imminutam aſſimilationis vim, quorſum pertinent CVLLEN, DOBSON, HOME, aliique, partim, qui ad renum vitia prouocant, ſequamur. Etenim per coniunctionem vtriusque theoriae certius omnino, tutiusque, praecipua huius morbi explicabimus phaenomena. In renes enim ſolos, quominus cauſſa mali iniiciatur, dulcedo impedit, ſaccharique copia haud exigua, quae agentium conſpirationem plurium requirit. Quin ſi ſola renum laxitas hic ageret, morbus profecto longe frequentior, et cum multis aliis viarum vropoieticarum morbis neceſſario coniunctus eſſet. Sed notum eſt, in quibusdam regionibus plane incognitum eſſe, in aliis autem, vt in Anglia praecipue, atque in Mediolanenſi ducatu frequen-

frequentiſſime hucusque fuiſſe obſeruatum, CVLLENIO, atque FRANKIO (l. c. §. 477.) teſtibus, quorum ille vicies, hic ſepties, intra octo annos, et in Germania ter modo viderit. Hinc poſt abuſum potus, praecipue diureſin augentis, poſt infuſa calida frequentius hauſta, poſt diureticorum vſum continuum, in morbis calculoſis, neceſſario oriri oporteret. At, ſi mellitum diabeten minime a ſolis renibus reuocare liceat, ſaltem potiorem inſipidi fontem ibidem quaeramus? Sed vtrumque gradu, non natura differre, mox ex Marabellianis tentaminibus, cum veri ſimilitudine, probare ſtudebimus. — Eſt quidem aliqua omnino vis renum in producendo diabete, ea nempe, vt humorum male miſtorum copia, per hanc viam excretoriam, non per aliam, excernatur. Haec in praediſpoſitione aliqua quaerenda erit, cuius exempla variorum auctorum obſeruationes nobis ſuggerunt. WHYTT quidem *pract. Schrift. überſ.* p. 416. 609. et BRISBANE *Select. Caſes of the Practice of Medic. Lond.* 1772. *überſ. Samml. f. pract. Aerzte B.* 1. *St.* 2. S. 131.) paralyſin, aut ſtatum paralyticum neruorum in viis vrinariis, aſſumit. Vrinae ſuppreſſionem ſpontaneam, atque iſchuriam praegreſſam, ex FR. HOFFMANNI (*Conſ. et reſponſ. med. Cent.* 2. *caſ.* 85. p. m. 365.) teſtimonio, diabeti anſam praebuit. Equidem quoque nonnullos Italiae medicos, qui frequentius huius generis aegrotos tractauerunt, iſchuriam antecedentem, tanquam cauſſam occaſionalem, accuſaſſe, recordor. Cl. RANOE contra (*Act. Soc. Haunienſ.* Vol. II. p. 162.) exemplum narrat viri, qui per conſuetudinem, continuo, etiam ſine ſtimulo mingendi, ad matulam recurrendi, diabetem ſibi contraxerat. Vtroque vero hoc vitio neceſſario debilitas organorum vropoeiticorum ſenſim inducta fuit. Renum ergo laxitas et debilitas in ipſo morbi initio adeſt, minus forte per effectus conſpicua, ſucceſſu demum morbi, continuata ſemper tanti fluidi ſecretione, ſuccreſcit, tandemque in illa phaenomena, quae diſſectiones oſtendunt, degenerat. Niſi enim renum vitio quidquam demus, cur quaeſo, per hanc magis viam excretoriam, quam per aluum, per ſudorem, aut per alias, humores ruunt? Non enim rara ſunt morborum exempla, vbi vires per has excretiones colliqueſcunt. Ipſa vero haec lotii per renes ruentis quantitas, non ex ſanguine diſſoluto, cum



Dobson, aliique, cruſtam in ſanguine e vena miſſo, viderint, explicari poterit. Neque ipſa ſanguinis ſolutio tantae lotii quantitati, vix ſufficeret. Hinc omnino ad reſorptionem humidi ex atmosphaera per vaſa cutis inhalantia, confugiendum, et exceſſus vrinae ſupra potulenta huic reſorpto humori, tribuendus eſt. Home plura huius generis experimenta enarrauit.

Vnde vero illa materiae ſaccharinae abundantia? Ex vitiis ſanguificationis atque aſſimilationis humorum, quam phyſiologi dicunt, repetendam eam, iudico. Inſunt enim vrinae diabeticorum partes, quae naturam animalem nondum ſubierunt, aliae e contrario, a corporis mole auulſae, et tanquam inutiles, per colatoria eliminandae, deſunt. Subſtantia ſaccharina, quaſi tota vegetabilis naturae eſt, ex ea chylus maximam partem conſtat, qui poſt aliquod tempus, continuata ſanguinis circulatione, tandem in animalem naturam conuertitur, vt dulcedo maximam partem pereat, et ſapor ſalinus, ammoniacalis, oriatur. Maſſam ergo, quae ex cibis per digeſtionem paratur, nutritiam, crudam admodum, humoribus admiſtam, hac ratione facilius ſegregari, probabile eſt; quod autem verus chylus hic ſimul eiiciatur, tum propter colorem lotii pellucidum, atque clarum, tum propter magnam aquae copiam, non eſt probabile. Nonnulli fluidum vero chyloſum, emulſioni ſimile, viderunt, quod per alias forte cauſſas accedentes, vt iam monuimus, ortum fuit. Frequentiſſime etiam, vt exempla allata docent, chylus magna aquae copia, et partibus ſalinis, vrinae inhaerentibus, ſolutus eſt, atque dilutus, eamque mutationem forte in renibus ſubit, quos facilius permigrare poteſt. Quo facto partes nutrientes diſſipantur, quarum quidem natura, licet nondum ſatis euicta ſit, neque ſententia Cvllenii, recentiſſimi de hoc argumento ſcriptoris, (*Mater. med. überſ. v. D.* Hahnemann, *B. 1, S. 250.*) qui triplicem earundem ſubſtantiam, videlicet acidum, ſaccharum atque oleum, dicit, omnem exorbuerit difficultatem; ex obſeruationibus tamen perſpicuum eſt, mucoſas particulas, et quae easdem inuoluunt ſubſtantias, dulces atque oleoſas, inter nutritias vel maxime numerandas eſſe. In diabete vero magna, vel ſubſtantiae ſaccharinae, vel vt Marabelli obſeruauit, ingens muci copia ſecernitur, vtraque

vero

vero materia nutritioni apta eſt; vtraque in hoc morbo, peculiares leges ſequitur, videlicet ſaccharum ſi deeſt, mucus abundat, hoc autem deficiente, ſaccharinae particulae praeualent. Hinc iure concludimus, diabetem ſic dictum inſipidum, non minus materiam nutritionis continere, quam mellitum; et idem obſeruator vnius eiusdemque aegroti, modo dulcem, modo per aliquot dies, inſipidam vrinam habuit. Cuius rei cauſſa forte in eo quaerenda, quod nutritiae partes magis ſubactae, propius iam ad naturam animalem acceſſerunt. Saltem non ſine ratione ſtatuendum eſt, diabetem vtrumque natura inter ſe conuenire, at pro maiori, et minori ſucci nutrientis immutatione, tantum differre. Illae opiniones, quas de ortu ſacchari alii afferunt, parum valent, quorſum Th. Willisii, iam vrinam dulcem commemorantis, (*Pharmac. ration. Genev. 1694.* Sect. 4. cap. 2. pag. 106.) pertinet, qui eam inde deducit, quod ſalibus in ſero combinatis, particulae quaedam ſulphureae, ex colliquatione partium ſolidarum delibatae, accreſcant. Darwinus (*Samml. für pract. Aerzte*, Bd. 6. St. 2. S. 337.) per motum vaſorum lacteorum retrogradum, chylum ibidem effundi, et vrinam dulcem fieri, ſtatuit.

Praeter partes nutricationis, quas vrina Diabeticorum continet, caret aliis, quae ſanorum inuoluuntur, atque tanquam inutiles, et auulſae e corpore eliminantur. Fundamenti loco ea hic ſumenda ſunt, quae de ſanorum vrina chemia docuit. Haec enim ſedimentum format, et gelatinoſum et ſalinum, vtrumque a corporis ſubſtantia ducitur, in liquorem ingreditur, quocum e corpore emittitur. Particulae enim lymphaticae, ſalinae diuerſi generis, inprimis ammoniacales, phosphorei acidi, ſalis digeſtiui, terrae animalis, ſiue calcareae, acido phosphori iunctae, in omni vrina, vt humore animali excrementitio, inhaerent. Harum partium perpaucae, imo fere nullae, Diabeticorum vrinae mellitae inſunt, ſed earundem locum partes nutritiae, ſaccharinae, aut mucoſae, nondum in animalem naturam ſatis ſubactae, occupant. Hae itaque in acorem proniſſimae ſunt, et demum poſt decompoſitionem, per fermentationem materiam demittunt, ſedimentis gelatinoſis ſanorum quodammodo conformem, quantitate longe minorem. Ex quibus omnibus ſatis manifeſtum, nutricationis

opus



opus, quod humores perficit, et conueniente ad se inuicem indole instruit, apud hos aegrotos maxime languere. Insipida e contrario vrina contentis suis sanae proprior est; habet enim partes, quae substantiae animali magis conueniunt, magisque uegetam nutricatus functionem, humorumque similitatem indicant.

Iam reliqua quoque phaenomena atque symptomata huic morbo familiaria, ex theoria hac commode explicari possunt. Initium plerumque lentum, cum, antequam morbus grauioribus stipatus symptomatibus sese prodat, plures caussae concurrant. Ingens ciborum desiderium, sitis vix restinguenda, appetitus auctus, tandem anorexia, praecipue sub morbi finem, vbi febris magis vrget, observantur. Haec ab defectu nutritionis omnino pendent, quo natura, ad cibos continuo assumendos, ventriculum, sine virium refectione, fortius sollicitat. Dolores abdominales, sensus frigoris, aut liquidi frigescentis ex lumbis in vesicam descensus, viscerum calor mordax ex muci inungentis defectu, secretioribus reliquis, sola renum excepta, suppressis. Excretio per cutim plane cessat; quae plerumque sicca, squamosa quasi, epidermide tandem, cum smegma vnguinosum deficiat, in furfures abeunte. Sudor nullus, haud dubie dulcis, si vnquam fuisset. Sub finem, vbi corpus amplius non alitur, febris hectica oritur, vespertinae exacerbationes, vigiliae, virium insignis debilitas, pulsus parui, intermittentes, tandemque aegrotus, macie summa confectus, perit. Nomen ergo, quod iam MORTONVS, *(Opp. omnia, Amst. 1696.* Lib. I. cap. 8. pag. 22.) diabeti tribuit, Tabis renalis, egregie conuenit. Attamen hac denominatione haud quidem tabes ab exulceratione renum, plerumque hoc nomine notata, sed haec corporis per renes colliquatio, aptissime insignitur. Neque ipsa curandi ratio ab hac theoria abhorret; roborantia enim, diaeta lauta, adstringentia, laxitatemque corrigentia medicamenta, in hoc morbo egregie profuerunt: ea praesertim, quae quodammodo in renes agunt, reliquis praeferri merentur, vt rhabarbarum, cuius in renes actio, aliis comprobata est phaenomenis. Cingulum porro corpori, in renum regione applicatum, constringendo aliquo vsu fuisse, auctores perhibent.

Proxi-

De proxima vero cauſſa, quae morbi genus definit, atque eiusdem theoriam conſtituit, diſſentiunt Noſologi; alii, vt CVLLENIVS, ſpasmis, alii cum SAUVAGESIO profluuiis, alii tabium ordini, ſcilicet Athrophiis, accenſent. Veritas difficulter eruitur. Etenim doctrina de nutritione, et humorum analogia multis adhuc dubiis, premitur, vnde, quid in illa contra naturam accidit, vix accurate explicari poteſt. Ill. FRANK inter recentiſſimos medicinae practicae ſcriptores, peculiarem de morbo hoc ſententiam fouet, (*Epitome*, Lib. V. Part. I. §. 481. pag. 53.) atque eandem ab actione ſyſtematis lymphatici praeter modum concitata, deriuat. Nam quemadmodum cum diabete dira ſitis, fauces continuo vrens, potu et poculis haud pellenda, coniuncta eſt: ſic Ill. Vir ſigno hoc facile adducitur, vt morbum Diabeticorum, oppoſitum quaſi ſtatuat ei, qui indomito aquae pauore, fugaque potus, diſcernitur, qualis in rabie canina habetur.

Satis iam diu Lectoris animum hoc argumento occupatum habuimus, in cuius commemoratione haec nobis praecipua ratio fuit, vt, quomodo Diabeticorum vrina, tum copia, tum qualitate, more miro turbatam, variatamque habere naturam ſoleat, probabili ſaltem ſententia exponeremus. Plura ergo, quae forte locum hunc tangerent, momenta, conſulto omiſimus, cum nobis ſuffecerit, ex allatis experimentis, Papiae, alibique locorum ſuſceptis, ea deduxiſſe, quae ad morbi ortum, et naturam illuſtrandam, conferrent. Haec atque eadem, quantum interſit in re medica perſpexiſſe, egregio exemplo eſt Candidatus, ob animi candorem aeque, ac doctrinarum copiam nobis Cariſſimus,

VIR

PRAENOBILISSIMVS, CLARISSIMVS,

IOANNES GEORGIVS HOFRICHTER,

SCHEIDEWIGSDORPIO - SILESIVS,

quem commendatione noſtra, iuſtisque laudibus ornare, vix opus videtur, cum quanta induſtria, doctrinae praemia promereri ſtuduerit, ex vitae Eius ratione, quam Ipſe ſcripſit, ſatis conſtat.



*Ego*, IOANNES GEORGIVS HOFRICHTER, *natus sum die 13. Augusti anno 1767. Scheidewigsdorfi, pago Silesiae inferioris, prope vrbem Haynau, Patre* IOANNE GOTTLIEB, *agri tributis immunis possessore, iam, quod valde doleo! ao. 1779. defuncto; et Matre* ANNA SVSANNA, *e gente* SCHNEIDER, *quae et ipsa ante septem annos, immatura morte, mihi proh dolor! erepta est. Qui quidem parentes carissimi maxime de mea educatione solliciti, summam curam, in religionis christianae praeceptis mihi tradendis, atque vberius, quam domi fieri poterat, docendis, posuerunt. Quo consilio anno aetatis duodecimo me miserunt ad* AVSTIVM, *Cantorem pagi Kreibau, vt musicam et praeter sacras doctrinas, eas quoque discerem, quae ad humanitatem pertinere dicuntur. Biennio nondum praeterlapso, cum possessori patrii pagi, Matronae* DE AXLEBEN, *Dynastae in Merzdorf etc. iure fieri videretur, vt, cui pater se subiecerat seruituti, eadem, illo mortuo, filio imponeretur. At per annum tantummodo durauit illa seuera, ac austera durissimae foeminae in me seruitus, quo feliciter exantlato ad* AVSTIVM, *Virum Maxime de me meritum redii, eiusque institutione fruitus sum. Postea ad Thermas Hirschbergenses, quae* Warmbrunn *dicuntur, profectus sum, ibique permulta a b.* GEORGIO, *Cantore Celeb. in litteris artibusque liberalioribus profeci. Anno 1786. Laubanum, Hexapolin Lusatiae superioris petii, ibidemque in celebri Gymnasio, ducibus Praeclar. Viris b.* GOEBELIO, *Rectore, nec non b.* KOSCHIO, *Conrectore, humanioribus litteris operam nauaui, quorum de me merita maximi facio, semperque faciam. Anno 1790. b.* SCHOTTIVS *in numerum ciuium Academiae Lipsiensis me recepit, ibique scholis et publicis et priuatis Virorum Celeberr.*

*maxi-*

*maxima cum voluptate, atque vtilitate, interfui. Nimirum Philosophiam* Platnervm, *et* Caesarem; Wenckivm *Historiam uniuersalem, tradentes;* Lvdwigivm *Historiam naturalem exponentem audiui. Historiam vero medicam* Kühnio *debeo, eidemque etiam Physicam. In mathematicis doctrinis* Hindenbvrgii; *in anatomicis* Haasii, *et* Fischeri *Institutione vsus sum.* Hedwigivs *Botanicen;* *Chemiam et Pharmaciam* Eschenbachivs; *Physiologiam, Pathologiam, Materiam medicam, Semioticen, nec non vtramque tum generalem, tum specialem Therapiam* Hebenstreitivs *mihi explicarunt; artem denique obstetriciam* Fischervs. *Cuius vero practicam partem, vt exercerem, Dresdam ao. 1793. petii, et* Weissio *duce vsus sum. Ao. 1794. Halae ab Venerabili* Niemeyero *ciuibus academicis adscriptus,* Sprengelii *praelectiones in Pathologia et Semiotica frequentaui;* Reilivm *de Materia chirurgica, et Therapia morborum speciali disserentem audiui, qui et Ipse mihi in Instituto Clinico lectos aegrotorum adeundi copiam fecit. Per hyemem anni 1794. et 1795. Dresdam iterum redii, praxin anatomicam colui, et parturientibus adstiti, et praeterea praelectionibus quibusdam medicis interfui. Anno 1795. mense Maio Vittebergae iuribus ciuis academicis ab Illustr.* Hommelio *impetratis, praelectionibus Virorum summe colendorum, nimirum Viri Experientissimi* Boehmeri *therapeuticis, nec non Excell.* Titii *chemicis et medico-forensibus, maxima cum voluptate interfui. Omnibus hisce Praeceptoribus quanta debeam, nunquam obliturus sum. Maximi ipsorum de me facio merita, eorumque recordatio gratissima semper mihi erit. Superest, vt Viro mei amantissimo mihique dilectissimo* Ioanni Gottlob Kirchhof, *ciuitatis Laubanensis ciui honesto, animi gratissimi deditissimique signa exhibeam. Hic*

*enim*



*enim me peregrinum omnino, atque ignotum, paterno amplexus est, amore, illique soli, quod votorum meorum compos factus sim, debeo. Tantae suae erga me beniuolentiae, summaeque liberalitatis specimina edidit, vt, quas pietatis gratissimique animi sensus foueo, exprimendis, verba non sufficiant. Laetor admodum tempus iam adesse, quo re magis, quam verbis animi, ipsi deditissimi, signa exhibere possim.*

Optimorum ergo in re medica Praeceptorum institutione, quorum strenuus et assiduus auditor fuit Candidatus Noster id egit, vt ad medicinam feliciter faciendam ab omni parte instructus esset, atque eruditus. Comprobauit id ipsum in examine, quod nuper, ex Ordinis Nostri instituto, subiit, in quo expectationem Nostram omnino superauit; comprobabit quoque publice die 9. Octobr. qua sub meo Praesidio Dissertationem pro Gradu Doctoris:

*De Arte Clinica tutius citiusque in Nosocomiis addiscenda,*

ventilaturus est; quod Ipsum vt solenni, atque nobis honorifica, auditorum frequentia fiat, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE, COMMILITONES PRAENOBILISSIMOS, DOCTISSIMOS, OMNES LITTERARVM FAVTORES, summa inuitamus obseruantia.

P. P. 18. post Trinitatis 1795.